

Peter Wasmund Joachim Hagen von

## **Collegii Imperialium Institutionum Disputatio I. De Iustitia Et Iure, Ac Prima Personarum Divisione**

Rostochii: Pedanus, 1612

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730622363>

Druck Freier  Zugang



R U. für 1672.

Pehr Wasmundt

Resp. Joachim v. Hagen /c







COLLEGII  
Imperialium Institutionum  
DISPUTATIO I.  
DE IUSTITIA ET  
IURE, AC PRIMA PER-  
SONARUM DIVISIONE

Quam

D. O. M. A.

In Illustri Academia Megapolensi.

PRÆSIDE

DN. PETRO WASMUNDT

Neobrand. Megapolitano.

Collegis suis nobilibs. & doctiss. discu-  
tiendam exhibet

Jochim vom Hagen

Eq. Megapolitanus.

Ad diem 31. Octobr. horis matut. &  
pomerid.

L. D. 290. Rostochl

Typi Exscripsit Joachimus Pedanus,

ANNO M. DC. XII.


1429  
15

75

94.

1612





*Landesbibl 1202*





D. O. M. A.

DISPUTATIO PRIMA

DE JUSTITIA ET IURE,  
AC PRIMA PERSONARUM  
DIVISIONE.

**Q**uoniam universum juris nostri studium ex Iustitia tanquam fine ejus efflorescat; omnesq. fori disputationes ad eam revocentur: non immeritò D. Justinianum Institutionum harum autorem secuti, in nomine Domini nostri Iesu Christi ab ipsa Iustitia exordiemur, ut principium decens fiat & amicabile Deo.

*Quaritur.*

1. An Justinianus Imp. fuerit Ethnicus? N.
2. An si Ethnicus fuisset, nobis Christianis jure ejus & legibus uti liceret? A.
3. An quovis ἀναλαβήτω fuerit rudior & imperitior? N.
4. Utrum invocatio nominis divini, vel signum crucis, in instrumentis sit solennitas necessaria? N. de jure Justiniano.

THESIS I.

Iustitia, à qua juris nomen autore JCto descendit, est  
constans & perpetua voluntas jus suum cuiq. tribuendi.

A 2

Jus



Jus, quod *πολιτικόν* est, & multas sub se significationes comprehendit, à Celso definitur ars æqui & boni: ab Ulpiano vero & Justiniano describitur, rerum divinarum atq; humanarum notitia, justī atq; injusti scientia. Hujus juris proprium est præcipere, specialiter penè in infinitum, generaliter præcipit tria, ut honestè vivamus præter legem: neminem lædamus contra legem: suum cuiq; tribuamus secundum legem. Positiones ejus sunt duæ, publicum & privatum. Illud quia publicè utile, est vel sacrum, quò scilicet ad religionem, sacraq; custodienda; vel profanum, quò ad politiam, h. e. magistratum creandum, legesq; ferendas Privatum jus utilitatem hominum privatam intuetur, eamq; principaliter conservat. Et deducit hoc Justinianus secutus Ulpianum ex triplici fonte; unde & triplex fecit, naturale, gentium & Civile.

### Quæritur.

1. An Ulpianus in l. 1. ff. de just. & jur. rectè jus à justitia deducat? A.
2. An justitia hic definiatur divina? N.
3. An igitur definiatur in abstracto? N.
4. An definitio pertineat ad universalem, an vero ad particularem justitiam? Aff. post.
5. Num in definitione pro tribuendi legendum tribuens? N.
6. An error jus faciat? N.
7. Jus Romanum an in artis formam redigi possit? A.
8. An in artem sit redactum? Dist.
9. Num æquum & bonum inter se differant? A.
10. An æquitas alia sit scripta, alia non scripta? N.
11. Æquitas an juris rigori præferenda? A.
12. Jurisprudencia an à jure differat? N.

An il-



13. *An illud, divinavum & humanarum rerum notitia, commune sit Jurisprudencia cum Philosophia? N.*
14. *An in §. 3. Inst. de just. & jur. contineatur triplex officium JCi? N.*
15. *Num sint plura juris præcepta quam tria? N. quò ad generalia.*
16. *An sub primo contineantur reliqua? N.*
17. *An vero tertium contineat duo priora? N.*
18. *Num Concubinatus de jure civili Justiniano sit sublatus? N.*
19. *Num de jure Canonico? N.*
20. *Quo igitur jure? Consuetudinario.*
21. *An quis sibi manus violentas sine læsione justitia inferre possit? N.*
22. *An quandoq; alterum decipere & circumvenire sit licitum? Negotiativè aff.*
23. *An usucapio pugnet cum naturali æquitate? N.*
24. *An usura sint licita? Sub dist. aff.*
25. *Jus privatum collectum esse ait Imp. ex naturalibus præceptis, aut gentium, aut civilibus: idè mne asserendum de jure publico? A.*
26. *Jus publicum an secundum Ravardum per L. Regiam sit sublatus? N.*
27. *An tripartita illa divisio juri tantum Romano, an vero cuius juris doctrina conveniat? Aff. post.*

## II.

Jus naturale est, quod ex naturalibus præceptis collectum omnia animalia natura docuit. Ad hoc pertinet, maris & foeminae conjunctio, liberorum, procreatio &c. Gentium jus est, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit. Ex hoc jure descendunt bella, servitutes,

A 3

omnesq;



omnesq; penè contractus. Civile vero illud dicitur, quod cujuslibet civitatis incolæ sibi constituerunt. Circa quod notandum, cum jus civile simpliciter nominamus, non addentes nomen cuius sit civitatis, jus civile Romanum per excellentiam denotari. Hoc jus neq; in totum à jure naturali vel gentium recedit, neq; per omnia ei servit.

*Queritur.*

1. Num jus cadat in bruta? *N.*
2. An jure civili prohibitum sit incestuosus alimenta subministrare? *N.*
3. An sui defensio sit juris natura? *A.*
4. An etiam juris civilis? *A.* quò ad approbationem.
5. An quis primum aggressoris ictum expectare teneatur? *N.*
6. An insultatus ab aliquo cedere & fugere teneatur? *Dist.*
7. Homicidium factum pro defensione parentum fratrum, cognatorum adhibito, moderamine inculpata tuela, an excusetur? *A.*
8. An quis ad alterius in periculo mortis constituti defensionem suscipiendam jure teneatur? *A.*
9. An qui convicys laesitatus est honoris sui tuendi causa licitè injuriantem occidere possit? *Reg. neg.*
10. An impunè interficere liceat eum qui sine armis elevata manu alapa tantum inferenda gratia alterum invadit? *N.*
11. An provocatus si in adibus aliove loco tuto commoretur ad duellum vel certamen provocanti honoris sui defendendi causa, comparere possit vel debeat? *N.*
12. An pro defensione rerum simplici liceat aliquem interficere? *N.* nisi simul vita periclitetur.
13. Utrum furem equo proprio vel mihi surrepto insidentem & cum rebus meis aufugientem ac quodammodo avolantem, si ali-



scilicet eum assequi & apprehendere, vel res meas recuperare non possum, sagitta & globo tormentario transverberare & transfigere, atq; ita impunè occidere permittatur? N.

14. Jus gentium an aliud sit primarium, aliud secundarium? A.

15. Num stipulatio sit juris civilis? A.

16. Num emphyteusis? N.

17. An empt-vend. sit contractus juris gentium? A.

18. An statuta à civibus condita sine Principis confirmatione valeant? N.

19. An statuta precisè & strictè sint interpretanda? N.

20. An ad studiosos non cives pertineat statutum favorabile? A.

21. An statutum valeat, ut pater ex delicto filij teneatur solvere legitimam? Negativa de jure verior, sed affirmativa usu recepta.

22. An statuta contra jus divinum, naturale & gentium facta valeant? N.

23. Legitima liberorum an statuto in totum tolli possit? N.

### III.

Dividitur jus nostrum in scriptum & non scriptum. Scriptum est, quod scriptis certa deliberatione habita, publica autoritate constitutum est, & ex legibus, plebiscitis, SCtis, Principum placitis, Prætorum edictis, & responsis prudentum descendit. Non scriptum, est quod tacito populi consensu longoq; usu approbatum est. Diuturni enim mores consensu utentium comprobati legem imitantur: & quibus ex causis scriptis legibus non utimur, id custodiri oportet, quod moribus & consuetudine introductum est. Si enim ipsæ leges nos alia ex causa non timent, quam quod judicio populi receptæ sunt; cur non & ea quæ sine scripto populus probavit tenebunt omnes?

Quæri.



## Queritur.

1. *An ad essentiam legis requiratur scriptura? N.*
2. *Lex nova, certo tempore non adjecto, regulariter post lapsum duorum mensium à die promulgationis ligat.*
3. *Princeps an legibus sit solutus? Dist.*
4. *An Princeps ex plenitudine potestatis, pro libitu, extra casum publica utilitatis & necessitatis, atq; ita sine ulla causa, civibus res suas auferre & ad alium transferre possit? N.*
5. *An Princeps ex contractibus cum subditis iniuri obligetur? A.*
6. *An L. Regia unquam fuerit lata? A.*
7. *An non Regia, sed Rhemnia dicenda? N.*
8. *An Augusti Imp. tempore fuerit promulgata? A.*
9. *An legis nova pena gravior ad delicta prius perpetrata nec punita veniat trabenda? N.*
10. *Responsa JCtorum an hodiè necessarium habeant assensum? N.*
11. *Quot anni requirantur ad consuetudinem introducendam? Arbitrio iudicis committimus.*
12. *Quot actus sufficiant? Iudici relinquimus iudicandum.*
13. *An actus debeant esse judiciales? N.*
14. *An consuetudo abroget legem scriptam? A.*
15. *An Doctori de consuetudine attestanti credatur? N.*
16. *An Iudicis qua contra consuetudinem prolata est sententia, aequè ipso jure nulla sit, ut ea qua contra leges pronuntiata fuit? N.*
17. *An illa consuetudo qua sepultura defuncti causa debet impediri & cadaver arresto impediri permittitur, admittenda sit? N.*
18. *An consuetudo de unione prolium valeat? A.*

Omne



IV.

Omne autem jus quo utimur, vel ad personas pertinet, vel ad res, vel ad actiones. Prima & principalis de jure & statu personarum divisio hæc est, quod omnes homines, aut liberi sunt, aut servi. Servi aut nascuntur ex ancillis nostris, aut fiunt, vel jure gentium, puta captivitate, vel jure civili sui ipsius venditione, & damnatione ad poenam propter delictum. Et licet servorum officia varia sint & distincta, in conditione tamen eorum nulla est differentia, secus in hominibus liberis. Nam qui statim ut natus est, liber est, ingenuus est: qui vero ex justa servitute à personis non prohibitis manumissus servus esse desijt, libertinus vocatur.

*Quæritur.*

1. *An obligatio sit jus personarum?* N.
2. *An aliquis servus possit esse sine domino?*
3. *Statuliberi num sint servi?* A.
4. *Num adscriptitij?* A.
5. *Num tabularij?* N.
6. *An materia servitutum hodiè quandam habeat utilitatem?* A.
7. *An Servitus sit contra naturam?* Disting.
8. *An Servus sit persona?* N.
9. *An is qui debet servum liberetur solvendo statuliberum?* N.
10. *An igitur qui debet hominem?* A.
11. *An unquam Servi fuerint in Germania?* N.
12. *An hodiè in orbe Christiano veri servi inveniantur?* N.
13. *An etiam hodiè fuga servorum & ancillarum ex quacunque causa dominis sit damnosa?* N.

B

An



14. An parentes vel consanguinei seipsum vendentem possint vindicare? N.
15. An illi qui jus aureorum annulorum impetrant fiant ingenui an mancant libertini? Aff. pr.
16. An libertus ob ingratitudinem in pristinam servitutem possit reponi? A.
17. An libertas etiam ob novos creditores quibus non est satisfactum impediatur? A.
18. Apud legatum Proconsulis an possit fieri manumissio? A.
19. An Collega apud Collegam possit manumittere? N.
20. An minor 25. annis possit esse procurator ad litem? A.
21. An expediat Reip. servitutem esse sublata? A.
22. An adhuc templa Christianorum rectè consituantur asyla? A.
23. An dura Romanor. patria pot. juxta Bodinum minus rectè sit sublata? N.
24. An gravior fuerit dominica? N.
25. An partus undecimo mense natus sit legitimus? N.
26. An ulterioribus mensibus nati pro legitimis admittendi? N.
27. An octimestris partus haberi debeat pro legitimo? A.
28. An septimestris? A.

## Corollaria.

1. Jus sine re vera, an vero opinione hominum tantum?
2. Jus Romanor. an in Republ. docendum?
3. An lectio librorum juris sit utilis etiam ijs qui proprijs moribus reguntur, licet Romanis legibus non utantur? Insti.



4. *Institutane potius an Institutiones hi libri Na-  
gogici sint dicendi?*

5. *An haberi possit tale jus scriptum, quod omnes  
casus in specie definiat, ac litigantibus absq; ullo pro-  
cessu loco sententiae definitivae prelegi possit?*

6. *An rectè Cujacius: Juris Civilis institutiones  
à Justiniano Imp. studiosae legum juventuti dicatas,  
planè interprete non indigere?*

7. *An antinomia sit in jure?*

8. *An jus Codicis de roget juri Digestorum?*

9. *An Novella Imp. Leonis derogent juri Justi-  
miano?*

10. *An Christiano magistratui jure Pontificio in  
causarum decisionibus uti liceat?*

11. *An ad electionem Romani Imp. necessaria sit  
coronatio Pontificis?*

12. *An communis opinio in omnibus causarum  
decisionibus semper attendenda?*

13. *An in Jurisprudencia definitiones Logicorum  
regulis innexae dari possint & debeant?*

14. *An Rubricae in toto corpore juris sint pro jure  
habendae, ita ut ad decisiones causarum allegari possint?*

15. *Num ante completum quinquennium ad gra-  
dum Doctoratus, vel in numerum Advocatorum  
quis debeat admitti?*

*As*



16. *Anglossa in causis dubijs ad decisionem causarum allegari possit?*
17. *Fragmenta Ulpiani, Caji &c. quo numero habenda?*
18. *Cesar unde sit dictus?*
19. *An Justinianus ab avunculo Justino producto nomine fuerit appellatus?*
20. *Justinianus an ex Dalmatia, vel Thracia vel Pammonia sit oriundus?*
21. *Cur Impp. dicantur Augusti?*
22. *An pro antecessoribus sit substituendum antecessoribus vel assessoribus?*
















ne potius an Institutiones hī libri Na-  
li?  
ri possit tale jus scriptum, quod omnes  
finiat, ac litigantibus absq; ullo pro-  
& definitiva prelegi possit?  
Cujacius: Furis Civilis institutiones  
p. studiosa legum juventuti dicatas,  
non indigere?  
nomia sit in jure?  
Codicis de roget juri Digestorum?  
lla Imp. Leonis derogent juri Justi-  
tiano magistratui jure Pontificio in  
nibus uti liceat?  
tionem Romani Imp. necessaria sit  
eis?  
nunis opinio in omnibus causarum  
er attendenda?  
is prudentia definitiones Logicorum  
ri possint & debeant?  
rica in toto corpore juris sint pro jure  
l decisiones causarum allegari possint?  
completum quinquennium ad gra-  
vel in numerum Advocatorum  
tti?

Ad